

DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE
ENODATIONEM
LEG. XVII. XVIII.
TIT. PANDECTARUM
POSTREMI,

Quæstionibus materiæ subjectæ
convenientibus illustratam, & ad disputandum

In Inchyâ Leucorâ

Ex Decreto atq; Autoritate Amplissimi
Collegij Juridici propositam,

PRÆSIDE

HENRICO COSELIO
de Pezlinovez J. U. D.

Eruditorum Examine subjiçiet

JOHANNES Fürstenwerder /
Berolinensis.

Ad diem 21. Julii.


horis & loco consvetis.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO M DC XLVII.



I. N. J.
LEX XVII.

 *U*lm tempus in testamento adjicitur: credendum est] in dubio scilicet: potest enim fieri, ut alia mens sit testatoris, & legatarii quoque causâ tempus differatur vid. l. si ita relictum 43. §. Pegasus 2. D. de Legat. II. l. cum pater 77. §. curatoris 14. D. eod. l. in fideicommissi 3. §. cum Pollidius 3. D. de Usur. & propter capientis personam, in diem fidei commissum relinquatur. text. notabil. in l. Favolenus 15. D. de ann. legat. Sed de his infra.

Pro herede] Heres propriè est successor in universum jus quod defunctus habuit l. hereditas. 62. D. de R. jur. Quæ vox ab hero seu Domino originem habet Cujac. l. 5. observ. c. 10. & ad tit. Inst. de hered. qual. & diff. Eo ipso enim quo heres est, dominus quoq; efficitur. Unde & heredes Domini quoq; ab antiquis dicuntur §. item extraneus 6. Inst. de hered. qual. & diff. in fin. ibi. Veteres enim heredes pro Dominis appellabant. & vice versa Dominos pro heredibus. l. si is ad quem 22. ibi, quamvis omnia pro Domino administraverit & c. D. de acquirend. heredit. l. 1. §. toties. 2. ibi: quam denegari aliquando alimenta ei qui Dominus bonorum aliquo casu futurus est D. de ventr. in possess. mittend. vid. Cujac. lib. 10. observ. c. 16. Hinc etiam heredem instituere, nihil aliud est, quam Dominum omnium bonorum suorum relinquere. Per additionem enim hereditatis omnia jura & actiones activè & passivè, cum omnibus rebus hereditariis transeunt in heredem, & ita continuantur in hærede, prout in defuncto fuerunt: cum hereditas nihil aliud sit quam universum jus quod defunctus tempore mortis suæ habuit. d. l. hereditas 62. D. de R. jur. Sebneidw. ad princ. Inst. de hered. instituend.

n. 2. & ibid. Gothofred. l. B. Est igitur heres (aptitudine scilicet & non ipso actu. Heres enim ante aditam hereditatem bonorum testatoris Dominus vix esse potest. gl. ad princ. Inst. de heredib. instituend.) idem quod Dominus, unde etiam juris fictione una & eadem persona heredis & defuncti esse censetur. Nov. 40. in princ. ibi: cum ubiq; nostris videntur legibus unam quodammodo esse personam heredis & ejus qui in eum transmittit hereditatem &c. vid. Gothofred. ad Schb. in pr. Inst. de heredib. instituend. lit. B. & D. d. commun.

Adjectum] Ratio hujus regulæ, desumi potest, ex l. nec semel diem 12. §. sed & si quotannis in fin. 4. D. Quando dies legat. vel fideicommiss. ced. quia scilicet testator heredi prospectum voluit, ne urgeretur ad solutionem. Hinc quoties tempus legati solvendi in testamento adjicitur in favorem & utilitatem heredis adjectum censetur. Ex quo maxima ad heredem spectat utilitas, quia medii temporis fructus lucratur. l. filium & uxorem. 21. ibi: id quod medio tempore ancilla enixa sunt. D. de opt. & elect. legat. l. quod his verbis 83. in pr. D. de legat. III. & in ipsius est arbitrio, utrum ante diem præstitutum solvere velit legatum nec ne, l. post mortem 12. C. de fideicommiss. Eadem ratione deciditur & hæc quaestio, cur legatum in certum diem alicui relictum mortuo ante diem legatario, deficiat & sic evanescat, ut ex eo nihil ad heredem legatarii cesso die transferri possit. l. si cui 49. §. & ideo 3. D. de Leg. I. l. 1. §. dies autem 2. D. de condit. & demonstrat. quia nimirum tempus testamento adjectum heredi proficit. vid. Philip. Matth. Neldel. Bronch. Ravard. & all. Registr. hic.

Nisi alia mens fuerit testatoris] Regula modò tradita limitatur primò: si tacitè vel expressè aliud colligatur ex voluntate testatoris (hæc enim pro L. habetur. N. 22. c. 2. l. 1. C. de SS. Eccles.) velut si aliquid impuberi in tempus pubertatis per fideicommissum relinquatur, hoc enim casu videtur magis tempus adjectum pupilli causa, quia si pubes esset, possetq; res suas administrare, statim ejus restitutione gravaretur heres, ideoq; veniente pubertate, id quod relictum est

est cum fructibus pupillo præstabitur. *text. notab. in l. si ita*
43. § Pegasus 2. D. de Legat. II. l. in fideicommissis 3. §. cum Pollidius
3. D. de Usur. vid. Neldel. htc.

Secundò, si præjudicium aliquod non generetur lega-
tariis ex anticipata solutione *l. uxorem 41 §. Sejum 11. D. de le-*
gat. III. l. cum pater 77. § à filia 10. D. de Legat. II. vid. Philipp,
Matth. htc n. 8. 9. & 10. cui add. Røvard. l. eod.

Sicut in stipulationibus] Stipulatio (a) est contractus (b)
iure civili (c) inventus (d) verbis initus (e) interrogatione
præcedente (f) eamq; responsione congrua (g) in conti-
nenti subsequente (h)

(a) quæ hoc nomine inde utitur quod stipulum apud
veteres firmum appellabatur, forte à stipite descendens
princ. Inst. de V. O. Unde stipulatio quasi firma obligatio. Et
gl. ibid. innuit aliquid dari solitum fuisse in stipulatione in-
signum contractæ obligationis sicut hodiè plerumq; datio
dextræ intervenite solet. Hinc per Notarium plerumque
hæc verba instrumentis inscribuntur: *Und habens mie*
handgebender Treu einander zugesagt *Schneid ad l. citat. n. 15.*

(b) propriè ita dictus. *l. certi condictio 9. §. quoniam igitur*
3. ibi. sive verbis D. de reb. credit. l. licet tamen 3. §. idem scribit.
11. ibi. nam sicut in stipulatione contrahitur cum filio &c. D. de
pecul. quibus add. l. stipulatio ista 38. D. de V. O. Hænon. disp. 14.
contr. 1.

(c) §. de constituta 9. in fin. *Inst. de Actionib. l. 1. D. Locat.*
junct. l. stipulationum 5 § stipulatio. 1. D. de V. O. vid. Vult. ad prin.
Inst. de V. O. n. 4. & 5. ubi ad contraria respondet.

(d) ratione scilicet solennitatis verborum & inventio-
nis *gl. in §. 2. vers. jus autem Inst. de J. N. G. & Civ. & in l. ex hoc*
jure, D. de J. & J. Aliàs ratione consensus intervenientis
obligatio ex stipulatione naturalis quoq; oritur *gl. in l. 1. §.*
conventionis verbum. 2. D. de pact. Neque tamen hic contra-
ctus est superfluous: Est enim tam propter necessitatem quam
utilitatem introductus. Propter necessitatem in casibus à
iure gentium non provisus, ut est in promissionibus fidejus-
sorum *arg. l. græcè. 8. D. de fidejussoribus Hænon. disp. 15. Inst. contr. 1.*
A 3 vid.

vid. Gædd. in tr. de contr. stipul. cap. 5. concl. n. 23. in liberatione ipso jure facienda. §. idem per acceptilationem 1. Inst. Quib. mod. collit. obligat in obligationum novatione l. 1. ibi novari verbis potest. D. de Novationib. Propter utilitatem; quia interdum utile est stipulationem intervenire ad confirmandam conventionem juris gentium, quæ alias per se ad producendam actionem est inefficax. vid. text. notab. in l. ex placito. 3. in fin. ibi nisi stipulatio subjecta ex verborum obligatione quæserit partibus actionem C. de rerum permutat. & præscript. verb. add. Schneidw. ad princ. Inst. de V. O. n. 8 & seqq.

(e) princ. Inst. de V. O. l. 1. pr. D. eod. ore prolatis d. la. in princ. Unde mutus, surdus, stipulari non possunt. §. mutum. 7. Inst. de inutilib. stipulat. d. l. 1. §. si quis ita, ibi. contra si sine verbis adnisset, non tantum civiliter, sed nec naturaliter obligatur. D. de V. O. Hinc etiam stipulatio inter absentes non contrahitur. d. l. 1. §. 1. §. item verborum obligatio 11. Inst. de Inutilib. stipulationib. imo nec scripto inter præsentibus. d. l. 1. D. de V. O. cui add. arg. l. 1. C. eod. Reinhard. Bachov. ad §. mutum. 7. Inst. de V. O.

Cæterum, verba stipulationis ineunda olim solennia; hodie sufficiunt quælibet, modò ex iis mens stipulantium percipi queat. Unde patet ex mente contrahentium potius quam ex solennitate verborum adjudicandum esse, an stipulatio contracta sit nec ne. arg. §. 1. Inst. de V. O. l. omnes stipulationes 10. C. de committend. stipulat.

(f) l. 1. in fin. C. eod. l. 1. C. de Usur. Unde stipulatio nulla est quando responsio seu promissio interrogationem præcedit, propter peccatum formæ Dd. in princ. Inst. dict. tit. Quare autem ad substantiam & formam stipulationis requiratur, ut præcedat interrogatio, & sequatur responsio? rationem hanc Dd. suppeditant: ut magis demonstretur animus, consensus & deliberatio. Quandoquidem non præcedente Interrogatione multi promittunt & offerunt, non tamen animo obligandi, sed gratificandi, credentes alios non accepturos. Quando verò Interrogatio præcedit, tunc videtur responsio deliberata ut interrogatio effectum suum sortiatur. Schneidw. dict. loc. n. 17.

(g) l. stipu-

(g) *l. stipulationum 5. §. 1. D. de V. O. add. §. prater ea inuti-*
lis 5. Inst. eod. §. Reinhard. Bachov. ibid. vid. prater ea Schneidw.
loc. sup. cit. n. 16. & seqq.

(h) aut post modicum intervallum. *l. 1. §. 1. ibi. interval-*
lum enim medium non vitiaret stipulationem. D. de V. O. ub. Dd.
add. l. si ita stipulatur. 12. l. continuus actus 137. in pr. D. eod. l. duos
reos promittendi 6. §. fin. vers. modicum tamen intervallum tem-
poris D. de duobus reis constituend.

Promissoris gratia tempus adjicitur] Debitoris appella-
tione & heres & promissor continetur. Uterq; enim quan-
tumvis invitus ille quidem id, quod ex causa testamenti de-
bet, hic verò illud quod in stipulationem est deductum ac
promissum præstare cogitur. Generaliter namq; is debitor
dicitur à quo invito res debita exigi potest. *l. debitor 108. D. de*
V. S. sicut & contra creditor est & dici potest is, cui ex
quacunque causa & obligatione ex quacunque
actione & persecutione, vel jure civili, sine ulla exce-
ptionis perpetuæ remotione, vel honorario vel extraordi-
nario sive purè, sive in diem, vel sub conditione res ita de-
betur, ut exigere quandoq; illam possit. l. creditores 10. l. cre-
ditorum 11. junct. l. seq. l. conditionales 54. eod. l. creditor autem
55. D. de V. S. vid. ibid. Dn. Gædd. Et quamvis hæc correlata
sint, debitor nimirum & creditor *secund. Dd. comm.* nihilo-
minus tamen in pari causa favorabiles sunt partes debi-
toris quam creditoris *text. notabil. in l. Arrianus 47. D. de O. &*
A. l. 1. in princ. D. de Solutionib. Unde & Ulpianus noster ad
Sabinum scribit: *Diem stipulationi adjectum efficere, ne præsen-*
ti die pecunia debeat, ex eoq; apparere diei adjectionem, pro
reo esse non pro stipulatore l. eum qui Kalendis. 41 §. quotiens 1. in
fin. D. de V. O. sicut & Imperator decidit in §. omnis stipulatio. 2.
ibi. quia totus is dies arbitrio solventis tribui debet. Inst. eod. tit.
quoniam in dubio & in obscuro favetur debitori & reo po-
tius quam Actori juxta vulgatam regulam; favorabiles
sunt partes Rei quam Actoris *l. favorabiles 125. D. de R. jur.*
Qualis est in stipulationibus promissor, in testamentis he-
res, qui cum promissore *in hac l. nostra* comparatur. Hinc
mota est insignis illa quaestio: Utrum

Utrum id quod in diem certam debetur, ante diem invito creditori rectè solvi possit?

Non desunt Juri Clarissimi qui contendunt, creditori invito ante diem solvi non posse, nec moram eum facere, si pecuniam ante diem à debitore oblatam ac depositam accipere recuset: proindeq; pecuniam istam, si interim pereat, creditoris periculo non perire. per *l. acceptam. 19. C. de usur. l. obsignatione 9. C. de solutionib. Cujac. lib. 23. observat. cap. 23. & l. stipulatio ista. 38. §. inter incertam 16. D. de V. O. Amylius, Ferretus ibid. n. 3. Borcholten in Commentar. ad tit. de V. O. c. 6. n. 33. & seqq.* Nos omissis dissentientium argumentis, quibus satisfaciunt *Branch. cent. 4. assert. 63. Philipp, Matth. ad l. b. nostram Hubert. Giphon. hic n. 45. & seqq.* ad quæstionem propositam cum communi *Ud. schola* affirmativè respondeamus, & creditori invito ante diem rectè solvi posse existimamus. Certissimi namq; juris est quòd in obligationibus in diem, totum medium tempus promissori ad solvendum liberum relinquatur *l. stipulatio ista 38. §. inter incertam 16. D. de V. O.* Jam si non liceret invito creditori solvere ante diem; vel si creditor posset solutionem ante diem recusare non esset debitori tempus medium liberum ad solvendum. Imò cum unicuiq; liberum sit, iis, quæ pro se introducta sunt renunciare *l. si iudex 41. D. de minorib. l. pen. C. de pact.* mirum sane non est, si debitor beneficium sibi competens contemnat & id quod ipsius gratiâ regulariter adjicitur *l. eum qui 41. §. 1. in fine D. de V. O. & l. b. nostra.* respuat & parvi faciat. Hisce add. *l. quod certa 79. de solution. l. qui res suas 98. §. mihi dare 4. ibi. etiam mihi solvi potest ante februarias D. eod. l. quod quis 50. D. de O. & A. l. continuus 137. §. cum ita stipulatur. 2. ibi. nam & quod in diem debetur ante solvi potest D. de V. O. l. post mortem 12. C. de fideicommiss. ubi Gothofred. Anton. Fab. Lib. 1. coniectur. cap. 1. Hering. de fidejussoribus cap. 22. n. 7. & 8. Donell. ad l. 41. de V. P. n. 47. & seqq. & lib. 15. commentar. cap. 8. Guilhelm. Forster.*

Forster. disp. 9. th. 7. Dn. Carpz. in J. P. F. p. 2. const. 28. d. 11. Quod autem hucusq; de diei adjectione dictum est id procedit in die certa, secus enim est de die incerta *l. stipulatio ista 38. §. inter incertam 16. D. de V. O.* Nam dies incertus pro conditione habetur *l. dies incertus 75. D. de condit. & demonstrat. junct. l. sufficit 56. in fin. D. de condit. indebit. & ante conditionem non cogitur creditor invitus solutionem recipere Dd. ad d. l. 38. §. 16. D. de V. O. Bartol. in litem liberatur. 6. §. quia paratus 1. D. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* Prædicta quoq; decisio (quod nimirum ante tempus solutio recte fieri possit) locum habet, quando tempus apponitur solum favore debitoris: secus si agatur interesse creditoris: tunc enim dies expectanda est, ne jus creditoris minuatur *text. notab. in l. Favolenus 15. D. de Annuis legat. & fideicommiss. l. si ita relictum 43. §. Pegasus 2. D. de Legat. II. Anton. Fab. in C. lib. 8. tit. 29. def. 14. Vult. Lib. 1. J. P. Rom. cap. 53. n. 124. Dn. Carp. in J. P. F. p. 2. C. 28. d. 12.* facit quod supra dictum est de herede (*limit. 2.*) qui ante tempus solvere non potest, in præjudicium legatarii. Et eò magis hoc dicendum est, si solum favore creditoris tempus adjiciatur: quia similiter ante tempus solutio fieri non potest. *d. l. si ita relictum 43. §. 2. D. de Legat. II. Dd. in l. in fideicommiss. 3. §. cum Pollidius D. de Usur. Dec. hic n. 5.* Et sicut debitor in cujus favorem tempus appositum est, potest si velit ante tempus solvere: Ita etiam creditor in cujus favorem tempus adjectum est, poterit ante tempus petere. Quandoquidem si tempus apponitur in favorem creditoris, etiam ipse poterit favori suo renunciare, nec tali casu potest debitor prætere aliud interesse: quia si solum est dilatio in favorem creditoris, debet esse nociva debitori, & interesse debitoris non venit in considerationem. Alias si interesse debitoris deberet considerari in tali casu, utriusq; gratia esset dilatio, & non creditoris solum. *Dec. hic n. 10. §. n. 12. ubi vid. plura.*

Lex

Lex XVIII.

Qua legata] Legatum (a) est donatio quædam (b) à defuncto relicta (c) ab herede præstanda (d) (a) à lege, quod legis modo relinquatur sic dictum. *arg. l. verbis legis XII. Tab. 120. D. de V. S. ubi Gædd. Sutbolt. disert. 10. aphorism. 2.* Significatio vocabuli olim latissima, hodie specialis & stricta *d. l. 120. & ibid. Gædd. Atriat & alii.* Non igitur universalitas sive juris successio, sed singulæ particularesq; res per legatum acquiruntur *§. fin. Inst. per quas pers. cuiq; acquiritur princ. Inst. de Legat. & quidem regulariter sine onere, ita ut nec legatarius à creditoribus hereditariis, propter æs alienum à defuncto contractum conveniri possit. l. fin. C. de hered. action. l. penult. C. de heredibus instit.* Hinc manifestum est cum legatum ex mera liberalitate proficiscatur nihil oneris admixtum habere aliter atq; fit in hereditate. Hereditas enim transit cum suo onere, & sæpe plus damni habet quam commodi, legatum autem nunquam est damnosum. *text. notab. in l. si hereditatem 32. in pr. ibi. nam legatum acquisitum nunquam illi damno esse potuit: hereditas interdum damnosa est. D. Mandati. Schn. ad princ. Inst. de Legat. n. 8. Vult. ibid. n. 2. & 3. & alij Dd. comm.* Sed olim quidem legatorum genera erant quatuor scil. per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per præceptionem; & certa quædam verba cuique generi legatorum assignata erant, per quæ singula genera legatorum significabantur. Sed ex Constitutionibus Principum solennitas hujusmodi verborum penitus sublata est *§. sed olim 2. in princ. Inst. de Legat. ubi vid. Schneidw. & l. in legatis 21. C. eodem.*

(b) *§. 1. Inst. d. tit. l. legatum est 36. D. eod. II.* Atq; ita discernitur ab hereditate *arg. l. hereditatis 119. D. de V. S. & per ea que modo premissa sunt. add. Donell. Lib. 8. comm. c. 2. Wesenb. in d. §. 1. Inst. de Legat.* Dicitur autem donatio quædam ad excludendas alias species donationis. Differt enim à donatione inter vivos in hoc quod legatum à testatore possit revocari quandocunq; ipsi placuerit. *l. si quis ita 3. §. fin. ibi & quidem*

quidem nuda voluntate l. quod si iterum 4. D. de adimend. vel
transferend. legat. Donatio verò inter vivos facta & semel
perfecta, temerè revocari nequit, nisi ob causam ingratitu-
dinis l. fin. C. de revocand. donat. vid. Dn. Carpz. in JP F. p. 2. c. 12.
d. 31. & liberorum supervenientium arg. l. si unquam. 8. C. de
revocand. donat. junct. l. cum avus 102. D. de Condit. & demonstr.
vid. omnino. Myns. cent. 5. obs. 63. & 64. Fachin. lib. 3. contr. cap. 85.
Bronch. cent. 3. ass. 74. Guilb. Forster. disp. 10. tb. 18. Dn. Carpz. l. su-
per cit. d. 32. & d. 33. n. 7. & d. 34. item p. 2. c. 12. d. 41. & p. 2. c. 14. d.
19. n. 1 p. 3. c. 30. d. 17 n. 5. Sic etiam differt à donatione mortis
causa. Legatum enim absenti & ignoranti relinqui potest.
l. cum pater 77. §. surdo 3. D. de legat. II. donatio verò mortis
causa præsentiā partium requirit. l. inter mortis. 38. D. de
Mort. causa donation. Item filiusfamilias mortis causa, do-
nare potest l. tam is 25. §. 1. D. de Mort. causa donationib. legata
tamen relinquere non potest l. sciendum est 2. D. de Legat. I.
junct. l. qui in potestate 6. in princ. D. Qui testament. fac. poss. vid.
Schneidw. ad princ. Inst. de Legat. n. 6. & 7.

(c) scilicet quavis ultima voluntate l. unic. C. de his quæ
pæn. nomin. in testam. vel codicill. cum olim tantum testamen-
to relinqui possent legata l. legatum 36. D. de legat. II. vid.
Schneidw. ad princ. Inst. de Legat. n. 2. Wesenb. in cod. n. 7. Imo
legata etiam extra testamentum & absq; heredis institutio-
ne coram quinq; testibus relinqui & adimi posse, nec non
absq; ullis etiam testibus legata extra testamentum apud
acta judicialiter relicta valere, testatur L. n. Carpz. in J. P. For.
Rom. Sax. p. 3. const. 4. d. 31. & d. 32. ub. vid.

(d) quod maximè ad possessionem attinet l. 1. §. &
continet. 2. D. Quod legator vid. omnino Reinhard. Bachov. ad
princ. Inst. de Legat. vers. est tamen quod istis reponatur.

mortuis nobis ad heredem transeunt] Hujusmodi sunt
legata omnia, præterquam quæ sunt conditionalia vid. Dn.
Carpz. in J. P. F. p. 2. c. 9. d. 21. quibusve dies incertus adjectus
est, qui conditionem in testamentis facit. l. dies 75. D. de
sondit. & demonstrat. add. ibid. Gothofred. l. B. Et ideo legatum

B 2.

cui

dies incertus adjectus est, quamvis à conditione dies incertus quodammodo separetur. *l. 1. in pr. D. dict. tit. conditionale tamen appellatur. l. si cum heres morietur 4. in princ. D. Quando dies legat. ced.* Quamvis enim certum sit aliquando diem exiturum, vivo tamen herede legatarius defunctus nihil ad proprium heredem transfert, cum eo vivo dies legati non cesserit. *l. 1. §. dies autem 2. D. de condit. & demonstrat. d. l. 4. in pr. D. Quando dies legat. cedat. l. huiusmodi 13. ibi. nam tale legatum cum morietur heres dato certum est debitum iri & tamen ad heredem legatarii non transit si vivo herede decedat. D. eod. tit. eorum. commodum per nos his quorum in potestate sumus eodem casu adquirimus) cum constet ex *l. si post diem 5. §. 1. D. Quando dies legat. ced.* legata purè vel in diem certum relicta ad heredem legatarii transferri, quod horum dies vivo legatario cesserit, per princip. *l. cedere diem. 2 13. D. de V. S.* consequens est, ejusmodi legata patri quoq; vel Domino legatarii adquiri. Hinc etiam Papinianus *Jctus in l. cum filio familias 11. in pr. D. de legat. 1.* innuit: Per eos qui in potestate sunt commodum hereditatis (quod *Nirian. in l. placet 79. D. de adquirend. hereditat. quoq;* approbat) vel legati patri Dominove quæri, ideoq; cum filio familias vel servo legatum vel hereditas datur, fidei committi patris vel Domini posse: quin & iis qui in potestate sunt, institutis heredibus aut legatariis si fideicommissum relinquatur, hoc casu ex ipsorum Domini scil. aut Patris, persona vires capere *Petr. Fab. hinc n. 11. in princ.**

aliter arg. quod stipulati sumus. Ratio diversitatis inter legata conditionalia, & conditionales stipulationes, id est cur hæ patri vel Domino acquirantur, illa vero non, hæc est: quia in stipulationibus id tempus spectatur quo contrahimus *l. si filius familias 78. D. de V. O.* id est ut idem Paulus loquitur, ejusmodi stipulationes ex præsentis vires accipiunt *l. usufructus 27. ibi quia ex presenti vires accipit stipulatio D. de stipulat. servor.* Deinde stipulator non sibi tantum sed posteris etiam ac successoribus suis consultum voluisse existimatur

stimatur per *l. si pactum. 9. in fin. D. de probationib.* atq; hinc ab initio stipulationem valere voluit, etiam si conditio ei adjecta nec dum extiterit *arg. l. si Stichum. 16. §. 1. D. de V. O.* Aliter se res habet in legatis. In his omnibus attenditur illud tempus, quo conditio existit. *l. legat. 41. D. de condit. & demonstrat.* Quæ ipsa ratio itidem ex mente testatoris dependet. Nam testator ex eo, quod sub conditione legatum reliquit, ita demum illud legatario delatum voluisse intelligitur, si conditio existat: siquidem hæredis potiore[m] quam legatarii rationem habuisse censetur *l. unum ex familia. 67. §. si rem tuam 8. D. de legat. II.* Hinc fit ut legatis conditionalibus hæc videatur inesse conditio, si legatarius vivat, & ideo mortuo eo ad ipsius legatarii videlicet heredem legatum non transit. *l. si in singulos annos. 4. D. de annuis legat. & fideicommiss.* cum suo magis quam legatarii hæredi, quippe quem nec respexit prospectum voluisse testator præsumatur.

Nam & sub conditione stipulantes omnimodo eis adquirimus, etiam si liberatis nobis potestate Domini, conditio existat.] Quemadmodum enim à J. C. Ulpiano in *l. precedent. 17. b. t. ultimarum voluntatum & stipulationum* (respectu scil. heredis & promissoris) conventio præmissa est: Ita è contrario à Pomponio in *b. l. 18. earundem ab illis & quidem à legatis* differentia proposita reperitur. Differentia autem illa duplex est. Legata enim purè relicta, ad heredem legatarii defuncti, sicut superius diximus, transeunt, conditionalia verò non transmittuntur. *l. si post diem 5. D. Quando dies legat. vel fideicommiss. ced.* Stipulationes verò tam puræ quam conditionales ad heredem transeunt & transmittuntur § *sub conditione 4. vers. ex conditionali Inst. de V. O. add. Locamer. & Reinhard. Bachov. ib. d. circa fin.* Præterea stipulationes conditionales à filiofamilias factæ patri acquiruntur, etiam si conditio demum post emancipationem, id est soluta jam patria potestate, extiterit. *per text. notab. & express in l. si filiusfamilias 78. in princ. D. de V. O.* ubi J. C. Paulus, *Si filiusfamilias, ait, sub conditione stipulatus, emancipatus fueris*

fuerit, deinde exiterit conditio patri actio competit. Secus se-
res habet in legatis. Etsi enim legata pura per liberos in-
potestate acquirantur patri: conditionalia tamen patri non
acquiruntur, si filius familias ante conditionis eventum fue-
rit emancipatus. Quod autem de filio familias dictum est,
id etiam locum habet in seruo arg. l. non omne 144. §. 1. & l.
quod quis 146. b. t. vid. omnino Neldel. Hippolyt. à Collib. Petr.
Fab. hinc n. 11. & 12.

ADDITAMENTA.

Particularis solutio invito creditori obtrudi non potest.

Non debet enim alteri per alterum iniqua conditio
inferri l. non debet 74. D. de R. jur. Si verò particularem solu-
tionem admitteremus, grave & incommodi plenum id es-
set text. notab. in l. planè 3. ibi quia sæpè & solutio & exactio par-
tium non minima incommoda habet D. famil. eriscund. Acce-
dit & hæc ratio quod aliud pro alio solvi non possit. l. mu-
tuum 2. §. mutui datio 1. in fin. ubi expresse dicitur: quia aliud
pro alio invito creditori solvi non potest. D. de reb. credit. Est
autem aliud pars, aliud totum. add. l. Tutor condemnatus. 41.
§. Lucius Titius 1. D. de Usur. Non desunt quidem textus in
quibus manifestè traditur debitum pro parte exsolvi posse
l. si stipulatus 9. §. qui decem 1. D. de solution. b. §. item per accepti-
lationem vers. fin. ibi. Sicut autem quod debetur pro parte rectè
solvitur, ita in parte debiti acceptilatio ex Inst. Quib. mod. tollitur
oblig. eos tamen de accedente creditorum consensu intelli-
gendos & interpretandos esse, rectè Accurs. & communis
JCr. Schola docet; cum invitus creditor ut partem debiti ac-
cipiat cogi non possit vid. Gædd. in l. minus solutum 32. D. d.
V. S. & in tract. de contrah. stipul. c. 6 n. 265. & seqq. & c. 12. concl. 1.
n. 3. Bronch. Evov]. cent. 2. ass. 17. Guilb. Forst. disp. 19. tb. 6. Carpz. in
J. P. F. part. 2. c. 28. d. 13. Riemer. decad. 11. assert. 9. ubi ad contrar.
respond.

11. Lega:

II.

Legatum studiorum causâ relictum, ex-
pirat & hæreditati accedit, quando
Legatarius à studiis desistit.

Est enim tale legatum studiorum causa relictum o-
mnino conditionale, quod deficiente conditione extingui-
tur & ad heredes revertitur. Cessante namq; causa finali
ipsu quoq; legatum cessat *l. epistolam 75. in pr. D. ad Sc. Tre-*
bellian. Et legatum relictum ob causam, tacitâ voluntate
intelligitur ademptum, si causa non impleatur *l. ex his ver-*
bis 2. ibi ut etiam ex hujusmodi verbis sive ad conditionem sive
admodum respiciant. C. de his quæ suo modo legata vel fideicom-
miss. relinquuntur. vid. Dn. Carpz. p. 3. c. 13. d. 26.

III.

Ex pura stipulatione statim debi-
tum peti potest.

Expressè hoc traditur in *§. omnis stipulatio. 2. Inst. de*
V. O. l. eum qui 56. §. qui ita stipulatur 4. D. eod. Humanitatis
tamen causâ breve aliquod spatium debitori datur ad sol-
vendum *l. si debitori 21. D. de judic.* neq; enim creditor debet
statim venire cum sacco peratus *l. quod dicimus 105. D. de solu-*
tionib. vid. omnino Schneidw. ad dict. §. omnis 2. Inst. de V. O. &
add. Gædd. ad l. 213. in pr. n. 4. de V. S. Borchol. de V. O. cap. 6. n. 12.
Bronch. cent. 4. ass. 49. Hænon. disp. 14. contr. 4. Do-
nell. ad l. eum qui 41. §. 1. D. de V. O. n. 3.
& seqq.

SOLI DEO GLORIA!

Ad Pereximum,

DN. RESPONDENTEM.

Non secus ac languens lolium, & Vilia campus
gramina, si desit cura laborq; parit,
Non minus Ingenium, si non cultura laborq;
sedulus adveniat, nil nisi prava feret
Te quoq; præclaris clemens Natura beavit
Lectibus ut mentis semina rite seres
Hoc igitur cures, Musas concedere menti
ut dulces fructus patria terra metat.

PRÆSES.



Ad Prestantissimum & Litteratissimum

**Dn. Respondentem, Ami-
cum & Conterraneum perdi-
lectum.**

Est honor Eunomiæ, sua sunt quoq; digna brabæa,
Juridicæ, Themidos quæ studiosus habet,
Quam benè! qui penetrat laudata sacraria Divæ,
Bartolus aut Baldus quæ docuere Viri.
Et quid digestus Codex, quæ Juris & æqui
Vincula, perpendit pectore, quid jubeant,
Hoc agis & scandis jam pulpita docta Themistos,
Perge sicut pergis, præmia certa manent.


Michael Junckener.

F I N I S.

X 2615918

VJ 17







B.I.G.

Farbkarte #13

DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE
ENODATIONEM ^{1647 10/2}
LEG. XVII. XVIII.
TIT. PANDECTARUM ²⁰
POSTREMI,

Quæstionibus materiæ subjectæ
convenientibus illustratam, & ad disputandum

In Inclytâ Leucoreâ
Ex Decreto atq; Autoritate Amplissimi
Collegij Juridici propositam,

PRÆSIDE

HENRICO COSELIO
de Pezlinovez J. U. D.

Eruditorum Examine subjiçiet

JOHANNES Fürstenwerder /
Berolinensis.

Ad diem 21. Julii.
horis & loco consvetis.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO M DC XLVII.